

CAPVT III.

De Präjudiciorum Practicorum noxa.

§. I.

Neminem facile fugit, quod incrementum ac studium veræ pietatis variis modis impediri possit ac soleat; nimia scilicet terrenarum rerum cura, cœlestium bonorum ignorantia & neglectu, securitate carnali, pravis mundanorum hominum exemplis & scandalis, vanis denique carnis nostræ effugiis & excusationibus, ut taceam reliqua. Minime tamen erravero, si ista omnia a præjudiciis practicis, non quidem primam originem, sed tamen sustentaculum aliquod & liberiorem operandi facultatem trahere affirmem. Nempe hæc homines in voluptatum, honorum, divitiarum insano studio obfirmant, conscientiæ dictamen & stimulus obtundunt, conformatiōnem cum mundo insinuant & excusant. Ipsa vero veteris Adami axiomata & effugia maxima sui parte in præjudiciis practicis consistunt; id quod quilibet deprehendet, qui Capite præced. adducta penitus considerabit. Inde autem simul patescit, per præjudicia practica multos Christianæ fidei articulos perverti, verum Dei cultum, amorem proximi & ipsius hominis emanationem salutemque detrimentum capere.

§. II.

Namque, ut clarius paulo eorum vim noxiā exponamus, 1.) ubi semel hujusmodi præconceptis opinionibus occupatus est animus, quæ intellectui pro norma & regula sunt, nullum de rebus agendis aut fugiendis sanum judicium, nulla intrinsecæ bonitatis aut malitiæ vera inquisitio aut æstimatio locum invenit, sed intellectus in rerum cum præjudiciis suis congruentia secure acquiescit. Sic vero 2.) ipsa principiorum practicorum innata quasi hominibus notitia sensim opprimitur,

K

vel